

XXXII. 1358. die 7. mensis Decembris, Cracoviae.

Casimirus dictus Magnus rex Poloniae privilegia et immunitates civitatis Cracoviensis renovat et auget ¹⁾.

In nomine domini Amen. Regie maiestatis celsitudo propter quaeque virtutum insignia laudedignis glorie titulis excellenter insignitur, et tanto celebrioris fame venustatur auspicijs, tantoque diffusioris laudis attollitur preconijs, quanto accuracius sathagit inhiare ampliandis rei publice incrementis, ex quibus Regie dignitatis consurgit fastigium, honoris augescit cumulus, regalis munificencie propagatur liberalitas et subditorum successus crebrescit in inmensum. Hinc est, Quod Nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, necnon Terrarum Cracouie, Sandomerie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranieque dominus et heres, notum facimus presentibus et futuris, Quod cum Ciuitas nostra Cracouiensis inter Vrbes Regni nostri famosior sit nomine, celebrior fama, et in bonis fortuitis ceteris videatur preminere, Cuius siquidem Ciues ab annis iupubertatis nostre meritis, sue beniuole fidei puritate, obsequiorum promptitudine, nostris promptissime obsecundauere nutibus, dignum ducimus ipsam Ciuitatem et Ciues ipsius priuilegiolorum prerogatiuis, donacionum gracijs, libertatum excellencijs non inmerito alijs prerogare. Sane itaque consideratis et perpensus exquisitis priuilegijs, donacionibus, libertatibus per nos et progenitores aut quosuis predecessores nostros ipsi Ciuitati nostre erogatis et indultis, minus specialiter et expresse declaratis, indeclarata luculencius declaramus, declarata presenti instrumento vigorosius approbando ratificamus. De Munificencia siquidem Regie liberalitatis damus perpetuo donantes, munificencius elargimur vniuersitati eiusdem Ciuitatis nostre omnes et singulas vtilitates infrascriptas: Notanter quinque Cameras pannorum cum toto censu et pleno dominio, sex cameras pannorum cum Terrragio siue censu terrestri, viginti duo scampna panis cum pleno iure, duas cameras siue casas, in quibus pannj tondentur, cum omnibus vtilitatibus, sex cramos siue institas cum suis censibus, tres stubas balneares, quarum vna vocatur in Arena, altera balneum Iudeorum, tertia circa Cornutos, cum quibuslibet eorum (s) solucionibus, cumentoria argenti, cementaria Auri cum omnibus suis attinencijs, duas pensas siue stateras quarumlibet rerum cum omnibus vsibus, duos currus uel plures, si necesse fuerit, ducentes potabilia, ad quos pertinet depositio et suppositio vinorum, ceruisiarum et quorumlibet potabilium cum omnibus vtilitatibus ad eos et ad ea pertinentibus, censum quartarum de singulis hospitem staminibus uel Ius Ciuitatis non habencium, vnam aream in plathea Castrensi, aliam in plathea Iudeorum, Maccellum Carnium cum suo censu, Mansum agrorum cum dimidio, censum aruinorum. Item omnes census inter et intra et supra muros, in foro, Sub pretorio, in Pretorio et circumquaque, seu ex omni parte pretorij, qui sunt et fieri possunt in futurum, pro vtilitatibus Ciuitatis ampliandis, dummodo Ciuitas in locis celebribus per inordinata edificia occupata non deturpetur. Porro ne vniuersitas Ciuium et pistorum antiquatis libertatibus frustrata, ad insolitam

cogatur seruitutem, prouidemus graciose indulgentes, quod omnes et singuli Ciues et Pistores sicut deantea liberi fuerunt, exnunc liberi sint quelibet frumenta sua molere seu contondere, quod wlgo dicitur *Schrotin*, in Molendinis, quibus ipsis placebit, nec vnquam compelli debent ad molendum seu contondendum sua frumenta in nostris Regalibus Molendinis uel alijs quibuscumque, exceptis illis pistoribus, qui ad nostrum cum toto censu translati fuerint dominium uel redempti. Census siquidem superius expressatos augeri admittimus sine nostrorum censuum aliqua diminucione. Preterea pro vberiori augmento reipublice Ciuitatis gades ab antiquo distinctos hoc modo duximus confirmandos: Primum, quod omnes Suburbani ad omnia Iura Ciuitatis obligentur, exceptis specialiter Ciuibus residentibus ad sanctum florianum et Incolis Nigreuille et Nigreplathee et hijs, qui in littore *Wysle* resident versus *Swerzinciam* ²⁾, qui omnes Iudicio et Iurisdiccioni Ciuitatis non subiacebunt. Deinceps pascua versus *Swerzinciam* usque ad gades limitatos uel limitandos ad Ciuitatem pertineant ab istis gadibus vsque ad fluuium *Prandnyk* ³⁾ circa agros Iohannis Amelegij, ab isto loco per limites agrorum ad Ciuitatem pertinencium, ab inde omnia intra pascua Ciuitatis contenta versus *Czyrin* ⁴⁾ vsque ad fluuium *Wyslam*, Deinceps versus Kazimiriam [vltra] littus *Wysle* ab ista parte. In quibus gadibus agros pertinentes ad domum sancti Spiritus volumus fore exceptos et exemptos. Omnesque cause ciuiles uel criminales, que intra gades predistinctos emerint, cum omni Iure ad Iudicium et regimen pertineant Ciuitatis, eo moderamine interiecto, si equi, pecora uel alie res quecumque apud nobilem uel ingenuum nostri Regni fuerint Arrestata, Is apud quem arrestata fuerint, parebit Iuri coram Iudice sibi competenti. Si autem huiusmodi res apud Ciuem aut mercatorem extraneum uel quemlibet forensem fuerint arrestata, a foro Iudicij Ciuitatis quoquo modo non trahatur. Interea ne quisquam secundum status sui exigenciam Iuribus sue legis frustretur in eo casu, si suggerente antiqui hostis malicia Miles uel Nobilis Terrigena Ciuem Ciuitatis prenotate occiderit uel wlnerauerit, causa wlneracionis uel homicidij coram nobis, aut a nobis substituto, uel Iurisdiccione ordinariam habente iure Polonico prosequatur; Econtra, si Militem uel nobilem Regni nostri Ciuis occiderit, aut aliquallyer wlnerauerit, in presencia nostra uel Substituti a nobis iure Ciuitatis duobus aut tribus uel pluribus Consulibus et Ciuibus presentibus causa decidetur. Hac condicione addita, quod solum in hoc casu quis Ciuem uel ius Ciuitatis habentem non vlterius, quam ad Iudicium nostrum trahere poterit uel audebit; In alijs autem omnibus et singulis casibus nulli Ciues uel Ius Ciuitatis habentes per quosuis Iudices, Officiales uel familiares nostros extra iudicium Ciuitatis, nec ad Castrum, nec ad vincula, nec ad aliquod quodcumque iudicium, nec ad captiuitatem trahi debent uel euocari. Excepto duntaxat, quod si quispiam Conciuis ipsorum uel alius grauatus fuerit in Iudicio ipsorum per interlocutoriam, que wlgariter *orteyl* dicitur, licitum sit sibi ab eadem interlocutoria ad maius nostrum Iudicium appellare, cui appellacioni sue iidem Iudices

deferre tenebuntur forma Iuris Theutunici non inmutata. Item omnes in Ciuitate uel intra muros Ciuitatis domos, hereditates, possessiones optinentes, ecclesijs et earum Cimiterijs tantum exceptis, ad vigilias, exactiones reipublice inpendendas tenebuntur. hoc adiecto, quod si nobilis uel aliquis noster Terrigena domus aliquas habuerit in Ciuitate prenotata, et eas exposuerit ad locandum, tunc locator siue inquilinus ad omnia onera Ciuitatis subire sit astrictus, a quibus oneribus nobiles nostros sedentes in domibus proprijs volumus esse penitus immunes et exemptos; excepta guerra, dum hostes Ciuitatem obsederent, tunc omnes domos in Ciuitate habentes ad defensionem ipsius sint astricti. Sandecenses eciam Ciues ceterique mercatores de Hungaria uel de confinio Sandecensi proficiscentes, nullas vias extraneas uel inconsuetas cum suis mercibus versus Prusiam, Poloniam, Sleziam, Boemiam uel Morauiam, nisi per ipsam Ciuitatem Cracouiensem transire debeant, occasione vlla non obstante. Itemque Ciues predictae Ciuitatis Cracouiensis Supam nostram ementes, ab exactionibus, vigilijs, omnibusque Iuribus aut oneribus Ciuitatis eximi non debeant nec absolui. Ceterum necessitate exigente, dum presens Priuilegium legi debuerit uel videri, non alias, quam in Castro aut in Ciuitate Cracouiensi in presencia [nostra] ostendatur. Nulli denique tabernam ad medium miliare de Ciuitate sepedicta construere uel locare licebitur in preiudicium Ciuitatis. Ex superhabundanti equidem Munificencia decernendo statuimus, quod nulli possessiones uel hereditates aliquas personis ecclesiasticis uel religiosis quibuscumque resignare in perpetuum poterint uel conferre; Sed qui testari uel testamentum facere decreuerint, ipsi uel executores huius testamenti vendito patrimonio uel hereditate de pecunia disponant iuxta libitum sue voluntatis ordinando. Demum, si quis de Ciuitate prenotata pro homicidio, Wlneracione uel Maleficio quocumque bannitus fuerit uel proscriptus, infra annum et diem a mansione Ciuitatis abstinere tenebitur et ingressu, Et eundem sic proscriptum in Kazimiria et in florencia ⁵⁾, hoc est circa sanctum florianum et in alijs suis Suburbijs fore censemus proscriptum. Et e contra proscriptos in Kazimiria et apud Sanctum florianum eciam in ipsa Ciuitate Cracouiensi volumus esse proscriptos. a qua proscriptione excipimus nobiles nostri Regni, nisi essent notorij profugi uel predones. Omnes nempe mercatores Ciues Cracouienses cum suis mercibus per Terras inter Ciuitates et Opida vbique locorum transeuntes, a theloneorum solucionibus et grauinibus quibuscumque omnimode absoluimus et liberamus. Postremo statuimus, quod si quispiam Ciuis uel Mercator extraneus nullo herede superstite uel legitimo succesore relicto decesserit, media pars bonorum per eum relictorum mobilium et immobilium Regio assignetur fisco; Reliqua vero medietas in vsus conuertetur Ciuitatis. In quorum omnium testimonium et euidenciam pleniorum, presentem literam nostrorum Sigillorum munimine duximus roborandam. Actum Cracouie in Crastino beati Nicolai Confessoris, Anno dominj Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo octauo. Presentibus Nobilibus viris nostris fidelibus, dominis: Iohanne Castellano, Imramo Palatino,

Cracouiensibus, Iohanne Woyniciensi, Nynotha Radomiensi, Zauissio Sandecensi, Stascone Malogostensi, Castellanis, Floriano Cancellario Lanciciensi, Iohanne Iudice et Andrea Subcamerario Cracouiensibus. Datum per manus dominj Iohannis decretorum doctoris, Decanj et Cancellarij Cracouiensis.

¹⁾ Przywilej pargaminowy cokolwiek uszkodzony. Na paśmie pąsowego i zielonego jedwabiu wisi pieczęć dwustronna w zwykłym wosku wyciśnięta, przedstawiająca z jednej strony pieczęć majestatową króla Kazimirza, z drugiej zaś strony pieczęć państwa. (Żebrawski l. c. I, N. 32 i 33). Jest ten przywilej zamieszczony w tomie III Aktów grodzkich i ziemskich (Lwów 1872, str. 18) w przedruku z Dodatku tygodniowego do Gazety Lwowskiej z r. 1862.

²⁾ *Czarnawieś* wraz z *Czarną ulicą*, gmina położona tuż pod Krakowem od strony zachodniej.

³⁾ *Prądnik*, rzeczka wpadająca do Wisły pod Krakowem od strony wschodniej.

⁴⁾ *Czyrżyny*, wieś pod Krakowem w par. *Mogiła*.

⁵⁾ *Kleparz*, dziś przedmieście Krakowa.

XXXIII. 1360. die 6. mensis Iulii, Cracoviae.

Casimirus rex Poloniae telonariis in *Krzeszow* et *Lubaczow* constitutis inhibet, ne a mercatoribus Cracoviensibus portorium exigant ¹⁾.

Kazimirus dei gracia rex Polonie, suis fidelibus omnibus et singulis theolonarijs per terras nostras vbilibet constitutis, ad quos presentes peruenerint, graciam Regiam et fauorem. Vobis omnibus et vestrum cuilibet et precipue *Czreschow* et *lubaczow* ²⁾ qui talia attemptare presumitis, sub obtentu gracie districtius precipimus et mandamus, quatenus ab omnibus mercatoribus equestribus siue in Equis transeuntibus de Ciuitate nostra Cracouiensi, qui tamen pecuniam secum non ferunt, ac eciam ab eorum curribus expensas duntaxat ducentibus, nullatenus aliquod theloneum requirere aut exigere presumatis, ipsos in transitu et redeundo transire quociens oportunum fuerit, libere permittendo. Si quis autem secus fecerit, se indignationem grauissime (s) nostram nouerit incursum. Datum Cracouie in octaua petri et pauli apostolorum beatorum, nostro sub Sigillo tergotenus presentibus in testimonium annexo. Anno domini MCCCLX.

¹⁾ Z kopii zamieszczonej w kodeksie Behma na karcie 28, stronicy odwrotnej.

²⁾ *Krzeszów*, miasteczko w wojew. lubelskim, obw. zamojskim, pow. tarnogrodzkim.

Lubaczów, miasteczko powiatowe w obw. żółkiewskim, Galicyji tak zwanej wschodniej.